


A. J. V. H. I.



II. Fol. 25. (Band 2.)

(cat. 1678)

N 26/493 May 1758

26

Pro

Reverendissimo, Serenissimo, & Eminentissimo

S.R.I. Principe ac Domino,

DOMINO

JOANNE THEODORO
BAVARIÆ DUCE,

S. R. E. Cardinale, Episcopo & Principe Leodiensi,
Frisingensi, & Ratisbonensi, utriusque Bavaricæ, Superioris
Palatinatûs & Bullonii Duce, Comite Palatinô Rheni,
Landgravio Leuchtenbergæ, Marchione Franchi-
montensi, Comite Loffensi, Hornensi,
Barone Herstallienfi &c. &c.

Quâ

EPISCOPO & PRINCIPE LEODIENSI.

GENUINA FACTI SERIES

Cum

DEDUCTIONE GRAVAMINIS

Et Adjunctis
sub Nris 1. 2. & 3.

P^{to} Confinium seu Limitum Juris-
dictionalium inter duas contiguas
Dynastias de Curenge & de Kernpt,
& in hac Materia BONORUM
DOMANIALIUM & REGALIUM
PRINCIPIS, nec non FEUDALI à
Præcellsa Imperiali Camera relaxati
MANDATIS. C. & inde secutorum.

1758.

JOHANNES THEODORUS
DUCES BAVARIAE

...

GENUINA FACTI SERVITUS
DEDUCTIO BAVARIAE

...

...

1732



Ad S. R. I. Principatum Leodiensem notoriè pertinet Comitatus Loffensis ab Episcopis & Principibus Leodiensibus, extinctæ modò Familiae Comitum Loffensium olim in feudum concessus.

Hujusce Comitatus partem facit Dynastia de Curenge, qua, extincta, ut supra dictum est, Comitum Loffensium Familia, nra Episcopali incorporata fuit, cui contigua est alia Dynastia de Kermpt nuncupata, quam hodie dum Hæredes de Stockhem ab Episcopo & Principe Lodiensi in Feudum recognoscunt.

Dictarum Dynastiarum lapides terminales antiqui per vetustatem temporum ita obscuri, & confusi, imò undequaque evulli fuerunt, ut ea propter inter Principem quàm Dominum Territorialem & Temporalem in Curenge seu ejus Cameram Rationariam ex una, & Toparcham in Kermpt, ex altera partibus super respectivarum Jurisdictionum Amplitude imminerent difficultates.

Supplicavit itaque Anno 1735. modernorum Hæredum Patrens & Consilii Ordinarii Leodiensis quondam Præses de Stockhem Celsissimo Principi GEORGIO LUDOVICO tum temporis regnanti ut aliquem de Cameræ Rationariæ gremio deputare dignaretur, qui absque Judicii strepitu ad locorum vifitationem nec non dictorum lapidum præactas Dynastias seu Didones contiguas terminantium re-
 stauracionem unà cum ipso Toparcha seu ejusdum Mandatariis procederet.

Annuit æquissimè huic & perquam laudandæ petitioni Celsissimus Princeps P. M. ac Comitem de Chistelles Cameræ suæ Rationariæ Consiliarium, eum ad effectum deputavit, insimulque Justitiariis Pagi de Curenge nec non vicini de Stevort injunxit, ut quæcumque Documenta & Monumenta dictos lapides concernentia haberent, eadem coram Camera sua Rationaria producerent.

Habitâ subinde pluries per dictum Comitem de Ghistelles unà cum Præsede de Stockhem (adhibitis Toparchiarum respectivarum seu Pagorum Justitiariis, imò vocatis etiam pro informatione Senioribus Incolis) oculari locorum inspectione, conventio amicabile edusque successit, ut ad ritè terminandas hinc inde Jurisdictiones easque ab invicem separandas, prout anguli ex diversis Jurisdictionis actibus resultantés id exigere videbantur, communibus utriusque Domini expensis, ordinati fuerint lapides numero septemdecim.

Sed antequam hi locarentur, ex latebris in lucem prodit antiqua quadam Limitatio seu Limitum determinatio de Anno 1309. per Seniores & Juratos seu Justitiarios Pagorum de Curenge & de Kermpt tum temporis facta, quam ex Tabulariis suis se extraxisse declaraverunt Abatissa & Moniales de Herckenrode, possidentes Fundum privatum seu Prædium, uti afferunt, Allodiale, antiquis retrò temporibus per Comites Loffenses eandem Monasterio donatum, sub Jurisdictione de Curenge situm, & ei-

dem notoriè subjectum, circa quod eadem Abbatissa & Moniales ratione hujus prædii vel minimam Jurisdictionem prætendant vel affectent.

Limitationem istam quæ utrique Domino, id est, tam Episcopo & Principi Leodiensi, quàm Præsidi de Stockhem antehac incognita fuerat, & per quam antiqui & veri Jurisdictionum de Curenge & de Kermpt limites dignosci poterant, Anno 1737. in Camera Rationaria exhibuit dictus Toparcha in Kermpt, & adjunctâ declaratione, quòd illi insisterè paratus esset, denuò Celsissimo Principi supplicavit, quatenus aliquem Cameræ Rationariæ Consiliarium deputare vellet, qui veram finium & lapidum Jurisdictionalium, qui Anno 1309. numero septem tantum locati fuerant, & non amplius reperiebantur, positionem conjunctim cum ipso supplicante, quâ Dynastâ in Kermpt indagaret, eumque in finem loca recognosceret.

Voti compos factus eum deputato rursus per Celsissimum Principem, Comite de Ghisteltes Cameræ Rationariæ Consiliario eodem Anno 1737. in *Mense Majo* ad loca controversâ se contulit & ab utràque parte (convocatis Pagorum de Curenge & de Kermpt Justitiariis, admittis etiam ad veritatem explorandam, & auditis diversarum Jurisdictionum Incolis, prout & propriis in iisdem fundos habentibus ac inter illos Abbatissa de Herckenrode) huic perquisitioni & explanationi opera omnis data fuit, inspectisque plurimis Documentis ex Actuariatu sive Protocollo de Kermpt authenticè desumptis, quinque loca, in quibus quinque primi lapides juxtâ limitationem de Anno 1309. positi fuerant, clarissimè, ne ullâ quidem circumstantiâ, quæ ad dictam limitationem requiri poterat, omisâ apparuerunt.

Re dein ulterius, non judicialiter, sed sinè ullo litis animo, ex mutuo consensu in Camera Rationaria maturè discussâ, ac instante sæpe-fato Toparchâ in Kermpt, quatenus Celsissimus Princeps in qualitate Domini Temporalis de Curenge assentiri haud dedignaretur, ut quinque primi lapides in locis restaurarentur, quæ ex Circumstantiis limitationis de Anno 1309. per Instrumenta sua ad oculum designatis, non vaga, aut dubia, sed prorsus certa & indubitata reddebantur, refutatis etiam objectionibus, quæ ex immutata per Edictum seu Regulamentum de Anno 1686. Talliarum seu publicarum Pensionum collectione in contrarium risultare fortassis poterant: eadem Camera Rationaria, hunc ad effectum, specialiter convocata, censuit quinque prima loca per Toparcham in Kermpt designata, illa ipsamet esse, in quibus quinque primi lapides per Limitationem de Anno 1309. fuerant collocati, & ad Celsissimum principem unanimi voto non-nullos è gremio suo deputavit pro obtinendo Consensu, ut dicti quinque primi Lapides ex Conventione utriusque Dynastæ, per Justitiarios hinc inde in iisdem locis reponerentur:

Cum enim partes inter se loca Finium Jurisdictionis respectivè recognovissent, & Abbatissa ac Moniales in Herckenrode (quæ nullam Jurisdictionem prætendere, multòminus iis in locis probare valebant) neque à Camera Rationaria, neque à Toparcha in Kermpt, velut tradi-

traditricēs legitimæ in controversia admitti possent, nullâ opus erat Judiciali Sententiâ, in his circumstantiis plenè verificatis aliâs facillimè concipienda.

Ast quis non miretur, quantum Religio Piissimi sed tum Octogenarii incircâ Principis **GEORGII LUDOVICI** circumventa fuerit! iussit enim quæcumque Acta & Monumenta Limitum, de quibus agitur, restaurationem concernentia ad se deferri, ac si pro sua informatione ea inspicere vellet: & in mense Decembri Anni 1739. duos sibi in Cabinetto, ut vocant, Familiares, qui de Cameræ suæ Rationariæ gremio nullatenus erant, & hoc respectu, neque Principi, neque Capitulo Cathedrali juramento obstricti, ad loca controversâ ablegavit.

Nec Præsens Consilii sui Ordinarii de Stockhem Toparcha in Kermpt deesse potuit, quin cum his Celsissimo Principi assiduis Commissariis se iterum iterumque ad eadem loca controversâ conferret, & omnia ad oculum ipsis monstraret, itâ ut ipsimet Commissarii extraordinarii & quoad Mensam Episcopalem extranei, in secundâ locorum visitatione circa mensem Julii 1740. susceptâ Præsidi de Stockhem fateri non hæsitaverint, quòd melior probatio quoad restaurationem Limitum de Anno 1309. fieri nequaquam possèt, quàm adducendo ea, quæ ab ipso exhibita fuerat ad convincendum Celsissimum Principem de veris locis, in quibus Limites Jurisdictionum tum temporis constituti fuère.

Veruntamen contra omnem expectationem accidit, quòd dicti Commissarii ad sæpèfata loca controversâ, Toparchâ in Kermpt præviè ex improvviso monito, ut ibidem quoque compareret, tertio se se contulerint, & sub die 15^{ta} Octobris Anni 1740. præsentam Sententiam quandam à Principe pro solo suo arbitrio in antecessum constitutam in propria causâ, & subscriptam contra fatum Toparcham, sub assumpto prætextu, quasi inter eundem Toparcham, ex una, ac Abbatissam & Moniales in Herckenrode, ex altera partibus (inter quos tamen in hoc Jurisdictionis negotio nunquam disceptatum coram Principe fuerat) Lis esset contestata: sub assumpto pariter colore provisionis ad Hypothefin omninò inapplicabilis, promulgare præsumpserint, vi cuius crebròdictis Commissariis injungebatur: quatenus Lapidès terminales de Anno 1309. in locis per Abbatissam & Moniales suprafatas designatis, provisionaliter reponerent;

Quam etiâ Sententiam inattentis Toparchæ de Kermpt Protectionibus, & quantum opus, Appellationibus ante ullius Lapidis positionem debitè insinuatis, quinto expolt die executioni mandare attentârunt.

Coactus igitur fuit dictus Toparcha in Kermpt, Appellationibus interpositis inherere ac proinde cum nullus in Patria Judex super Nullitatibus ab ipso Principe commissis cognoscere possèt, Citationem in Camera Imperiali impetrare ad videndum & audiendum deduci tot, tantâsq; Nullitates, & quidem adeò fundatam, ut Celsissimo Principi non tantum petita ejusdem Citationis contra ipsum decreta circumductio denegata, sed & ulterius **Mandatum Compulsoriale** sub die 29. Aprilis

Aprilis 1743. in eodem Supremo Imperii Dicasterio *contrà ipsūmet Celsissimum PRINCEPEM* tanquam unicè in causa exadverso Principalem decretum fuerit.

Nec mirum! quippe ad Privilegia Episcopis & Principibus Leodiensibus competens provocare haud poterat, quibus ipsemet è diametro contravenerat:

Non ad Rudolphinum à tot Augustissimis Imperatoribus confirmatum, quo deputatis Episcopalis Camerae Rationariae Commissariis privativa Jurisdicção in causis Jura, Proventus, Regalia & Telonia Principis quomodolibet concernentibus attributa fuit, ipsemet enim causam ab eadem Camera Rationaria clam ad se avocarat;

Non ad commune cum omnibus Imperii Statibus, intuendo quæstionem super finibus Feudi inter Dominum directum ac Vasallum, tanquam de se feudalem, si inter ipsos lis contestata fuisset, in quo casu Imperiali Camerae Jurisdicção omnis per Capitulationem Casaream subacta fuit: quia, fingendo tertium contradictorem tanquam altunde illegitimum, reverà in propria causa per se ipsum jus dicendi facultatem sibi arrogaverat, id quod Jura Feudalia æquè ac alia non admittunt.

Nullam proinde Tribunalium in Patria salubriter constitutorum rationem habuerat, nullum Juris ordinem servaverat;

Non denique etiam ad Austregas provocaverat.

Cum itaque in hoc rerum statu Celsissimus Princeps *stã Decembris 1743.* diem clausisset extremum, & in locum ejusdem electus Serenissimus & Eminentissimus Princeps **JOANNES THEODORUS** Regimen Patriæ Leodiensis adorsus fuisset, innata Augustissimæ Domui Bavaricæ iustitia & æquitas abhorruit Judicis oraculum expectare aut expectare super Nullitatibus tam manifestis, & verè illegali procedendi modo, ad quem Prædecessorem suum per sinistras informationes, ingravescente sua ætate, inductum fuisse dolebat.

Quamobrem, ut primum Status Litis Serenissimo Principi innuit, ultroneè recognovit Nullitates per Celsissimum Prædecessorem suum commissas, & instante Toparchâ in Kermp pro finienda controversia, rem totam, prout rationis ordo postulabat, ad Cameram suam Rationariam, novâ moderni Principis, ut moris, creatione renovatam, & in membris suis valdè immutatam, hæc tamen sub cautela, remisit, ut alios binos dictæ Camerae Consiliarios **Baronem de Bierfet, & Loets Detrixhe**, quorum primus sub Prædecessore suo de Camera Rationaria nequam fuerat, in Referentes & Commissarios deputaret;

Ad quorum post diuturnum ab unoquoque Deputato separatim abfolutum examen quorumcumque Monumentorum, Documentorum, & Scripturarum, Fines & Limites utriusque Toparchie de Curenge & de Kermp concernentium, nec non variarum charterum locorum controversorum ichnographias representantium, evoluto septem mensium spatio, tandem factam relationem nova (si dicere fas est) Camera Ratio-

naria

narum unanimes iterum Voto, captam per hos Commissarios Deputatos conclusionem approbavit, & Serenissimo pro ulteriori ordinatione presentavit.

Ponderato igitur denuò toto Limitum Jurisdictionalium negotio & partibus scilicet Dynastia in Curenge nec non Dynastia in Kermpt in eandem Sententiam convenientibus, rescriptit propria manu Serenissimus Princeps - Exequatur **JOANNES THEODORUS**.

In cuius Rescripti sequelam bini Commissarii supradicti una cum Agentibus Toparchæ in Kermpt ad loca controversa se contulerunt, ac die 22da Decembris 1745. ex Lapidibus in mense Octobri 1740. in conformitatem Sententiæ tot insanabilibus Nullitatibus infectæ provisionaliter collocatis, sed totâ Limitum controversiâ per jam dictum Rescriptum compositâ, de Speciali Mandato SERENISSIMI, per Justitiariorum Pagi de Curenge evulsis, quinque primos Lapides secundum Limitationem de Anno 1309. in locis conventis, & tam in priori quàm in moderna Camera Rationaria approbatis, per Pratores & Justitiariorum utriusque Pagi de Curenge & de Kermpt ritè collocari fecerunt, nec non actum authenticum positionis horum Lapidum limitaneorum expediri, & apud utriusque Jurisdictionis Acta registrari iusserunt, sicque omnia ipsis commissa per modum firmæ & inconcusse Transactionis, quæcumque controversiam incuitu Limitum Jurisdictionalium dirimentis, debite peracta & executioni demandata fuere.

Interposuerunt quidem Abbatissa & Moniales in Herckenrode (de finito inter duas Toparchias, sub quibus bona quedam possident, Jurisdictionis conflictu minimè contentæ) sub 29na ejusdem mensis Decembris Appellationem ad Suprema Imperii Tribunalia ab Evulsionem Lapidum, qui provisionaliter, vel potius violenter in mense Octobri 1740. positi fuerant (comminatâ scilicet in casum inobedientiæ Justitiariorum de Kermpt non modò Celsissimi ex tunc Principis indignatione, sed quod insuper veluti rebelles tractandi forent) licet Abbatissa vel Moniales in Herckenrode neque ad hanc præsentem provisionalem positionem alioquin Nullitate insanabili infectam, neque ad editam ab iisdem alteram solentem Limitationem de Anno 1309. (quod bene notandum) vocatæ aut interpellatæ fuissent.

Sed isthæc Appellatio fuit omni effectu destituta, & deserta remansit.

Abindè sæpèdicta Abbatissa & Moniales in mense Januario Anni 1746. ad Serenissimum & Eminentissimum PRINCIPEM LEODIENSEM per Supplicem Libellum recurrerunt; quem idem Serenissimus ad Cameram suam Rationariam, prout Justitiæ Administrationis id exigebat, remisit:

Nec enim in hac causa Confinium ejus Jurisdictionis quæ à Principe Territoriali Toparchæ de Kermpt in Feudum concessa est: & alterius Jurisdictionis de Curenge, quæ Mensæ Episcopali incorporata est, facit-

facitque sic partem Domani Principis: vigore Privilegii ab Augustissimo Imperatore RUDOLPHO II. concessi, & à Gloriosissimis Imperatoribus MATHIA atque FERDINANDO III. confirmati ac denique ab Augustissimo Imperatore CAROLO VI. explicati & ampliati hic *sub N^o 1^{mo}* annexi, ullus alius Judex esse poterat quàm hæc ipsa Camera Rationaria.

Nec defutura fuisset eadem ad normam atefati Privilegii, hujusmodi Supplicem Libellum vel Fisco, vel Toparchæ in Kernpr, communicabilem declarare, & porro in causa, viâ Juris, adhibito quatenus opus, suo tempore, Jurisconsultorum impartialium Consilio, procedere, si modò prædictam Abbatissam & Moniales pro legitimis Contradictricibus habere potuisset.

At dum nullam omninò Jurisdictionem in locis controversis à Supplicantibus vel tantum prætendi, probè noverat, fata Camera Rationaria specialiter in mense *Februario* 1746. hunc ad effectum congregata, ut Principi suo plenissimè satisfaceret, dictum Libellum Supplicem, revisis denud quibuscumque Scripturis & Monumentis, accuratè examinavit, iteratimque *sub die 8^{va} Martii* sequentis edidit Votum: quod, tum Injustitiam & Nullitatem præsentæ Sententiæ provisionalis evidentissimè probavit, tum Justitiam Ordinationis à moderno Serenissimo Principe in mense *Decembri* 1745. emanatæ & executioni demandatæ laudavit: insuperque plenè demonstravit, Supplicantes Abbatissam & Moniales omnimodâ Jurisdictione in locis controversis carentes, esse illegitimas omninò contradictrices

Si per hanc Repulsam à limine Judicii Abbatissa & Moniales se gravatas credidissent, vel aliàs qualitatem Contradictoris legitimi probare valuissent, unum quidem indubitatum, sed nullum aliud eisdem suppetebat remedium, quàm ad Revisionem *cum excoclusionè alterius cujuscumque Judicis* in atefato Privilegio Cæsareo providè ordinatam confugere.

Veruntamen magis consultum duxerunt *sub 3^{ta} Maji Anni* 1747. clanculum ac sub- & obreptitiè, inaudito Serenissimo & Eminentissimo Principe, in præcessa Camera Imperiali Werzlarie **MANDATUM SINE CLAUSULA** de *manutenendo ordinationem 15^{ta} Octobris* 1740. *cum plenaria Cause cognitione latam & in judicatum prolapsam, reponendo evulsos Lapidès terminales ad locum unde, nec ulterius pendente Lite quidpiam in puncto limitum alterando, aut mutando contra Dominum PRINCEPEM LEODIENSEM nec non binos Consiliarios Camere Rationarie, uti & Hæredes de Stockhem* impetrare.

Quantum verò per hunc illicitum Recursum Serenissimi Principis Leodienfis Prærogative, Jura & Regalia lædantur: quantum Sacratissimæ Imperii Constitutiones, Capitulationes & Ordinationes per talem Cameræ Imperialis Processum infringantur, nemo non videt.

Si enim questio super confinibus Feudi inter Dominum & Vasal-
lum, in Thesi loquendo, sit causa Feudalis, videatur

Hiltrop. Process. Judic. part. 1. tit. 2. num. 74.

Struv. in Syntagm. Juris Feud. cap. 16. aphor. 4. num. 3. Et 4.

Schilter. in Comment. ad Jus Feud. Alamann. cap. 10. §. 8.

Adeoq̄ue solius Principis & Domini Directi Jurisdictioni taliter ob-
noxia, ut vel Pares Curie, vel per alia Judicia à se ad hoc legitime con-
stituta decidenda veniat, videatur

Idem Struv. loc. cit. aphor. 5. num. 1. Et aphor. 6. num. 51.

Idemque Schilter. loc. cit. §. 2.

Strick. Dissert. Hall. disp. 3. cap. 2. num. 14. Et 15.

Et Camera Imperiali catenus Jurisdictione omnis per *Capitulationem*
Cesaream Augustissimi Imperatoris FRANCISCI I. Gloriosissime
Regnantis Art. 21. §. 1. adempta fuerit, specialissimèq̄ue inhibeatur, ne
Jurisdictionem Principibus & Statibus Imperii ratione Feudi competentem,
neque sub prætextu continentie causarum, neque Ju-
dicii universalis violare attemptet:

Quantò magis in hypothesi illicitum fuit præcessisse Imperiali Ca-
meræ causam Limitum Feudalium, viâ Mandati ad se trahere, ubi non
est sola questio Finium inter Jurisdictionem nudam Principis Territoria-
lem & eam, quæ a Principe Vasallo in Feudum concessa fuit; sed po-
tius de confinibus duarum Toparchiarum & Jurisdictionum particularium,
quarum altera quidem Vasallo in Feudum concessa fuit, altera verò
Mense Episcopali seu Camera Domanialium Principis
incorporata existit, obstante itidem peculiari PRIVILEGIO Epi-
scopo & Principi Leodiensi antiquitus competente & summâ sollicitudine
in pleno vigore conservato;

De quo atfectatæ Imperialis Camerae quondam Affector de Ludolff

in *Commentatione sua Systematica de Jure Camerali* append. 5. sub

Rubrica: LEODIENSIS EPISCOPATUS.... in serie

Privilegiorum loco 11^{mo} sic scribit: (Privilegium) RUDOL-

PHI II. Imp. „Prage 16. Decemb. 1605. prohibet Appellatio-

nes omnes à Decretis & Sententiis in causis pertinentibus ad Ca-

meram Rationariam Episcopi Leodiensis, reservato saltem bene-

ficio Revisionis. Hoc Privilegium in Camera Imperiali fuit ac-

ceptatum per Sententiam 13. Octobr. 1607, confirmatum deinde ab

Imp. MATHIA, FERDINANDO II. & FERDI-

NANDO III. Annis 1613. 1624. 1653..... est.....

aliàs notissimum pluresque Appellationes tentatæ contra hoc Pri-

villegium, rejectæ fuere vel non devolutorie late;

Siquidem, secundum jam dicti Privilegii Exemptionem Princeps
actione Finium regundorum respectu Toparchie in Curenge Mense suæ
Episcopali incorporatæ, seu Jurisdictionis ejusdem conveniri nequit, ni-
si coram Camera sua Rationaria, veluti, cum exclusione quo-

C

rum-

rumcunque aliorum Judicum pro Rebus & Juribus ad Mensam Episcopalem quomodolibet pertinentibus unico Judicio competente; non secus ac si Prædii alicujus privati ad Mensam Episcopalem spectantis Fines seu Limites à Possessore seu Proprietario contigui alterius Prædii privati confusos Limites habentis judicialiter impeterentur :

Quæ etiam Exemptio majus robur accipit per prælaudatam *Capitulationem Cesaream*, ubi *Art. 18. §. 1.* Statutum est - eos Imperii Status, qui speciali Privilegio ab Imperii Supremis Tribunalibus exempti sunt (ut respectu Bonorum Mensæ Episcopalis, Principes Leodienfes exempti esse noscuntur) penes Exemptionem suam permanere debere.

Porro §. 2. ejusdem *Art. 18.* Augustissimus solemniter promittit, quòd fatam Exemptionem Statibus Imperii per Privilegia indultam, illibatam relinquere ipsòsque penes eandem conformiter Ordinationi Cameræ Imperialis Pacisq; Instrumento tueri & manutene re velit; addendo sequenti §. 3to se non permittitur fieri eà in re ullam Statibus molestiam sive per **Commissiones MANDATA**, vel alias tum Consilii Aulici, tum **Camere Imperialis Ordinationes**: quippe jam tum *Pacificatione Osnabrugensi Art. 5. §. 56.* Causa Privilegiorum Imperii Statibus concessorum reddita fuerat sancta & inviolabilis.

Ad hæc præcelsa Imperialis Camera sine ulla prærequisitione Informativum incompetens omninò supra recensitum Mandatum sine Clausula (sub inani prætextu: ac si bini Cameræ Rationariæ Consilarii uti & Heredes de Stockhem in facto implicati forent) re ipsa contra solum Serenissimum Principem ad petitionem subditi decernere non dubitavit, quia Evulsio Lapidum limitaneorum Anno 1740. sub specie quidem Provisionis, sed veritùs sub attentato Nullitatis positurum (ut supra §. *In cujus Rescripti sequelam &c.* notatum est) erat Factum solius Principis, non per designatos binos Cameræ Rationariæ Deputatos Commissarios, neque per Justitios Toparchæ in Kermp, sed per solos Justitios Pagi de Curenge. de Speciali Mandato Serenissimi perpetratum.

Proinde, si in hac causa ad Mandatum S. C. secundum *Sphum 23tium Ordin. Cam. part. II.* nullatenus qualificata debitas Informativales prærequisivisset atefata Imperialis Camera; Serenissimus Princeps utique contra jam dictum Privilegium Rudolphinum evocari volens, vel ad Austregas provocasset, vel saltem ultra superioris deducta Cameræ Imperiali extrajudicialiter & amicabiliter exponi fecisset, quòd controversia super Finibus Quæstionibus Jurisdictionibus moveri non possit per Abbatissam & Moniales in Herckenrode nullam Jurisdictionem illis in locis habentes, imò nec ullam prætendentes, aut prætere valentes;

Quòdque dictæ Abbatissæ & Moniales litem super Limitatione Jurisdictionis nullibi introducere valeant ratione Proprietatis privatorum Prædiorum, quæ iisdem in locis possident; quia Limitationes Jurisdictionum nullo planè modo tangunt aut afficiunt Causam proprietatum privatatum.

Imò quòd neque ulla glebæ particula de dictis Proprietatibus sive Abbatissæ sive alterius cujuslibet Possessoris detracta fuerit, vel ut detraheatur cogitatum sit,

No-

Notissimum quippe est, Dominis Jurisdictionum omne jure licitum esse, constituere Fines Jurisdictionum suarum, absque interventione Proprietariorum, qui ibi Prædia possident, quia aliud est Jurisdictio, aliud Proprietas;

Fasque ipsis Dominis Jurisdictionum esse constituere suos Fines & Limites in ipsis etiam Prædiis particularium Possessorum utitur invidorum, quemadmodum in terminis præcis edocet **Schneidewinus ad Instit. lib. 4. tit. 6. §. de Act. fin. regund. num. 10.** ibi -

„ Domini Civitatum habentes confinia Territoria & volentes con-
 „ servare jurisdictionem quoad Legem Justitiæ & Imperii pos-
 „ sunt saltem utili actione experiri, ut Territoria separentur,
 „ & ponantur Limites etiam invidis Dominis Prædiorum,
 „ quorum sunt isti Fundi, ubi eriguntur Limites nam
 „ qui habet Jurisdictionem, habet illud Jus, ut possit sal-
 „ tem facere ea, quæ ad conservationem illius Juris perti-
 „ nent.

Qua de re omnes Doctores, qui materiam hanc attingunt, unanimiter conveniunt.

Notissimum pariter econtrariò est, quòd subdito propter præten-
 sum interesse (quale tamen in negotio planè extraneo habere nequit
 Abbatisa seu Monasterium in Herckenrode) nullatenus liceat **Jus pri-
 mæ Instantiæ** Principi non tantum ex *Pace Westphalica Et Capit. Cesar.* sed etiam ex specialibus Privilegiis à benememorato *de Ludolf loco supracit.* recentis competens præterire & querelam suam, spretis Judi-
 cii in Patria providè constitutis, ad Suprema Imperii Dicasteria imme-
 diatè deferre;

Multò minùs autem Subditus, sub clypeo Mandati manutenentiæ
 ibidem frivole ac sub & obreptitiè imperati, præsumere audeat, ut Cau-
 sam Feudalem, imò, prout in casu subtrato, Regalem seu Cameralem
 Principis præ omnibus privilegiatam, sub prætextu Continentiæ Cau-
 sarum, contra Imperii Sanctiones & Capitulationem Cæsaream illuc trahere
 attemptet.

Si prædictas inquam Informativales Præcessum Imperialis Came-
 ræ Tribunal, prout sanè debebat, postulasset, perpexisset utique ex iis-
 dem, quòd Serenissimus Princeps modernus Litem ad videndum & au-
 diendum deduci Nullitates insanabiles allegatæ Ordinationis *de 1514 Oc-
 tobris 1740.* contra Celsissimum Prædecessorem suum (qui secundum te-
 norem Privilegiorum suorum & in specie ad normam prædicti Rudolphi-
 ni certè non processerat) in Camera Imperiali legitime introductam reas-
 sumere noluerit, sed ipsemet, Nullitates istas agnoscendo, ad præfati in
 Imperiali Camera Actoris Toparchæ de Kermpf instantiam, Cameraque
 suæ Rationariæ Relationem & Votum, novos Ditionum respectivarum
 Terminos hinc inde conventos reponi mandando, controversiam totam
 aboleverit, sive, Actorem contententem extra querelam constituendo,
 causam istam de se planè cessare fecerit.

C 2 Quare

Quare Serenissimi & Eminentissimi Principis Leodiensis partes haud erant, se adversus tam incongruum Mandatum exceptionibus alioquin validissimis tueri; Praeceptis enim per Judicem notoriè incompetentem impunè non paretur, intermissis praesertim **Literis Informativis**, quas Camera Imperialis ad Principem relaxare debuerat, priusquam contra ipsum quidquam decerneret, cum de privativo suo **Facto** ageretur, ne quidem per binos Camerae suae Rationariae Consiliarios, vel per Haeredes de Stockhem in quaestione Mandato gratis nominatos, sed per Justitarios suos in Curenge duntaxat, de speciali Eiusdem Principis Commissione expleto: **Evulsione** scilicet **Lapidum limitaneorum 1740. provisionaliter**, usque dum haec Limitum Jurisdictionalium controversia finiretur, sub vitio tamen etiam Nullitatis collocatorum.

- Eadem nihilominus Camera Imperialis de rei statu & meritis ex parte Haeredum de Stockhem Toparcharum in Kermpse seu eorundem Procuratoris L^{ti} Weylach procul omni dubio sufficienter informata, veluti abundè constat ex praesentia Sententia paritoria de *19na Maji 1756.*
- N. 2. sub N^o 2^{do} hic adjuncta, non abstinuit, quominus hanc Paritoriam, prout & aliam sub *1^{ma} Februarii 1757.* imò etiam sub *1^{ma} Aprilis* sequentis Mandatum de exequendo ad Serenissimum Electorem Palatinum quò Circuli Westphalici Principem Condirectorem non tantum decerneret, sed & manifestum hoc omnibus Imperii Statibus commune Gravamen per asseritam Sententiam *24. Octobris ejusdem anni 1757.* editam & sub
- N. 3. N^o 3^{to} pariter annexam summopere adaugeret.

Dum enim idem Serenissimus Princeps superioribus annis per Beliorum Calamitates. Absentiae suae Diuturnitatem & aliorum negotiorum molem praepeditus, ex ingenta Bonitate, priusquam hic deductum Gravamen publicum redderet, Injuriam Sibi, ac Privilegiis, Juribus, & Regalibus suis per tale Mandatum sine Clausula illatam, ipsimet Imperiali Camerae per ordinarium suum Agentem ibidem, Licentiatum Blavier remonstrari, **Exceptionesque Incompetentiae** praesentari fecit, & in his audiri postulavit, eadem Imperialis Camera (quo motivo ducta nescitur) has non tantum **temerarias**, sed etiam **PLANE NON FUNDATAS** esse declaravit, & sub specie Sententiae Imperialis de plano rejectit, insuperque contra Serenissimum Electorem Palatinum, ut executionem praecipitaret, proclama decernere opportunum duxit.

Faeca ea propter ex hac asserita Sententia iudicio Lectoris discutienda proponere opera pretium erit:

Ad quam, quaeso! Causam Citationis, ut suum Gravamen & Nullitates contra praesentiam Sententiam a defuncto Principe *Anno 1740.* latam proponat, remittitur Serenissimus Princeps modernus, à quo speciale idcirco Mandatum desideratur? quam in ea personam sustinere debet? an Actoris? non sane; quia de Stockhem Actor nominatur: an Rei? non itidem: quia remittitur, ut interveniendo impugnet. Quis ergo pro defuncto Praedecessore suo (quem unice ex adverso Principalem fuisse constat, ex ulteriori Mandato

dato Compulforiali sub 29na Aprilis anni 1743. è Camera Imperiali relaxato)
 Causam hanc in qualitate Rei reassumet? Quis Reus iste erit?

Si Successor ad reassumendum citari debuisset: nonne potuit idem Successor, qui Factum Defuncti publicè improbat, cum parte adversa super Lite transigere? nonne potuit ille, super Finibus Jurisdictionum contiguarum planè transigendo, cum parte adversa Gravamen, quod super præsentia provisionali circa eos ordinatione contra Prædecessorem in Camera Imperiali introductum fuerat, eadem Transactione componere & Liti renuntiare? Ubi est ergo Causa Citationis, ad quam Serenissimus Princeps remittitur? eruntne forsitan chartæ in Cancellaria Cameræ Imperialis sedulo asservatæ super querela Nullitatis contra Prædecessorem introducta, jam ante annos duodecim per modernum Principem Transactione finita?

Aut intendit fortassis Camera Imperialis, sicut Celsissimus Defunctus Princeps GEORGIUS LUDOVICUS (ut in propria Causa ipsemet Judex esse, & Sententiæ, contrà quam Nullitatis querela introducta est, aliquam Judicii Speciem asingere possit) Abbatissam & Moniales in Herckenrode Contradictrices planè illegitimas locò sui in partem, inscio Toparcha in Kermpt, substituerat, eidem pariter in hac Nullitatis querela dictas Abbatissam & Moniales in Herckenrode sinè prævia legali cognitione: An legitimæ Contradictrices esse possint, vel non, viâ facti surrogare?

Ab initio potius Abbatissam & Moniales in Herckenrode ad reassumendam Litem pro defuncto Principe forsitan remittere potuisset eadem Imperialis Camera, quam omninò incompetenter Mandatum S. C. decernere; sed ex tunc per Exceptiones Hæredum de Stockhem utique apparuisset, easdem nullatenus posse admitti pro legitimis Contradictricibus, quia nullam prorsus in locis controversis Jurisdictionem habentes nec habere prætendentes, nullum etiam jus habere poterant ad præsentiam provisionalem Limitationem planè nulliter decisam, binarum Jurisdictionum Principis & Vasalli, licet nomen earundem subditaturum pro diversis privatis Possessionibus, quas in his Jurisdictionibus obtinent, à defuncto Principe indebitè mutuatum fuerit.

Nunc verò ad rubricam Cause transeundum, ibi:

*Contra Dominum Principem Leodiensem decisi Mandati
 de manutenendo Ordinationem 15. Octobris 1740. —*

Contra quam querela Nullitatis in eadem Camera Imperiali illicè admiffa fuit, relaxatis pluribus usque ad mortem defuncti Principis eum in finem Mandatis Compulforialibus.

— Cum plenaria causæ cognitione latam —

Ergò fortè etiam prædicta Causa Citationis ad videndum deduci Nullitates insanabiles favore non informantis defuncti Principis contra Citantem de Stockhem per hoc nuperimum Mandatum S. C. decisa fuit? Quare igitur modernus Serenissimus Princeps ad eam causam adhuc remittitur, ut Gravamen suum, id est, Nullitates contra Ordinationem seu præsentiam Sententiam defuncti Principis de Anno 1740. proponat?

Justificari autem in æternum non poterit, Litis contestationem ex parte Præsentis de Stockhem coram Celsissimo GEORGIO LUDOVICO contra Abbatissam & Moniales de Herckenrode unquam intercessisse, qui veluti Beneficiarius Dynasta in Kermpt cum Principe suo in qualitate Domini Temporalis seu Toparchæ in Curenge & ejusdem Cameræ Rationarij eo, quo debebat, profundissimo cum respectu unicè tractavit, ut super Limitibus ex æquo & bono convenirent, & communi consensu novi Lapidis Limitanei Jurisdictionum

D con-

contiguarum reponerentur in locis, ubi fuerant *Anno 1309.* collocati; sed cum saepe nominatâ Abbatissâ & Monalibus se nunquam in Litem coram Principe intromisit;

Imò & ipse Celsissimus Princeps, antequam induceretur, ut fictam Sententiam de 15. Octobris 1740. subscriberet, easdem pro parte Contradictrice non admiserat; cum enim hæc ad intricandam controversiam semper intentæ, & illi se immiscere cupientes, à Camera rationaria Scripturas & Monumenta tam ex parte Justitiariorum de Curenge quam eorum de Kermpt productas & producta sibi communicari supplicassent, & per interpositam personam confidentialia sollicitassent, idem Celsissimus ejusmodi communicationem fieri noluit.

Ubi ergò sinè Litis contestatione, sinè prævia hinc inde communicatione plenaria Cause cognitio? quâ qualitate insignita dicitur Ordinatio seu præsentia Sententia de 15. Octobris 1740.

= Et in Judicatum prolapsam =

Appellationibus, de quibus supra, §. *Quam etiam Sententiam* &c. in recurso ad Cameram Imperialem ex tunc contra Provisionalem debitè sumpto, una cum Nullitatis querela cumulatis nequaquam fortè obstantibus.

= Reponendo evulsos Lapidés terminales ad locum unde =

Nullis prærequisitis informatorialibus Litteris, quare Serenissimus Princeps eosdem Lapidés per longè alias quam in Mandato denominatas personas evellere fecerit.

= Nec ulterius pendente lite quidpiam in puncto Limitum alterando aut mutando S. C. =

Limitum scilicet Jurisdictionalium inter Dynastiam de Curenge Domanialem Principis, & aliam de Kermpt Feudalem ab eodem Principe relevantem: utramque à Jurisdictione Camera Imperialis aded exemptam, ut ne quidem sub prætextu *continentiæ Causarum* vel *Judicii universalis* de Finibus Jurisdictionalibus inter has Dynastias regundis cognoscere valeat.

His præmissis, si, præter ea, quæ superius *Capitulationis Cæsareæ novissimæ Articuli 21.* Spho 1^{mo} sunt allegata: quod scilicet (prout Sphus iste latius continet) Sacra Cæsarea Majestas non sit permittenda, ut Electoribus, Principibus & Imperii Statibus (liberâ Imperii Nobilitate comprehensâ circa eorundem Feuda, ubicunque hæc sita fuerint, quoad illorum Domini directi Jura & Prærogativas in Casibus juxta Jus Feudale eò spectantibus quoddam inferatur præjudicium, in iisque per Summa Imperii Dicafteria, **NEQUE SUB PRÆTEXTU CONTINENTIÆ CAUSARUM NEQUE JUDICII UNIVERSALIS** ulla ipsis fiat turbatio, reflectenda adhuc addantur sequentia:

Quod alterate *Articuli 30^{mi} Sphus 1^{ma}* Consiliariis Imperialibus Aulicis nec non **CAMERÆ IMPERIALIS JUDICIO** injungat, ut in Consiliis suis & Expeditionibus ac aliis passibus se isti Capitulationi conforment, eamque semper ab oculis habeant, nec contra eandem quidquam agendo seu consulendo committant, idque vi eorum

eorundem juramenti, cui hæc obligatio verbis expressis inferenda dicitur.

Quòd ante Capitulationem præactam jam modò Instrumento Patris Osnabrugenſis *Art. 5. §. 56.* sic cautum in verbis:

„ In Aulico non minùs, quàm in Camera Imperialis Judicio,
 „ Privilegium primæ Instantiæ Austregarum Ju-
 „ ra & Privilegia de non appellando Statibus Im-
 „ perii illibata sunt, nec per MANDATA, aut A-
 „ vocationes, aut quovis alio modo turbentur.

Quòdque Recessus Imperii de Anno 1594. §. 79. districtè præcipiat, sedulo attendendum, ne Mandata sine Clausula vel alia ejusmodi faciliè decernantur pro Subditis mediatis contra eorundem Superiores.

Quòd demùm huic Ordinationi insistant Recessus Imperii NOVIS. de 1654. §. 79. Omnes Supplicantes Est. quòd prohibetur, ne Mandata sine Clausula aliter, quàm in Causis Pignorationum, de relaxandis captivis & in quatuor designatis aliisque in Ordinatione Judicii Cameralis & Imperii Constitutionibus comprehensis Casibus decernantur, sed in quibuslibet occurrentis circumstantias, aliaque ad Mandatorum istorum relaxationem requisita probè attendenda fore jubetur.

Qui insuper Sp̃hus prærimis elucidatur ex Judicii Cameralis Visitationis Recessu de Anno 1713. ubi §. 9. — attendò, quòd partes primà Instantià sæpius frustratæ, quòdque contra Imperii Statuum Privilegia de non appellando & evocando, Jura Austregarum &c. Processus Decreti & Mandata relaxata fuerint, Præcelsæ Cameræ specificè inhibetur, ne adversus Recessum Imperii novissimum, verùmque Ordinationis Judicii Cameralis sensum, Quatuor Casus in ejusdem part. 2. tit. 23. specificatos contra Electores, Principes aut Principum vel aliàs Austregarum Jure gaudentes in eorundem Gravamen primariarumque Instantiarum præjudicium extendat: Atque ut Processus & Mandata ejusmodi, quæ partes ad sinistra narrata sua impetraverint, ad debitam Imperii Satuum, quorum interest, Privilegiorum insinuationem & expositionem illicò reponantur &c. distictè injungitur.

Cavetur dein in dictæ Visitationis Recessu Sp̃ho 10. pariter, ne Præcelsæ Camera adversus Electores, Principes & Imperii Status ad storum Incolarum & Subditorum seu etiam pauperum Supplicantium querelas faciliè decernat Processus vel Mandata sine Clausula; sed ut priùs juxta Imperii Constitutiones & Casareas Regiæque Capitulationes præviè pro Informativialibus rescribat; ac sequenti §. 11. ulterius additur & mandatur, ut casu quo etiam temporalis inhibicio Rescripto pro Litteris Informativialibus addenda foret, Camera Imperialis nihilominus cum tali cautela in omnibus procedere debeat, ne Imperii Status desuper conquerendi ansam habere valeant.

Consequens est igitur manifestum, quòd Præcelsæ Camera Imperialis, sæpè-memoratam Abbatissam cum suis à Limine Judicii non repellent.

pellendo, & ad Serenissimi Principis Leodienſis Cameraſ Rationariam, quâ unicum Judicium in hac Limitum Cauſa competens non remittendo, ſed eidem tanquam alteſati Principis ſubditæ, adverſus Imperii Reſcuſſus, omnèsque rectæ Politicæ Authores ſubdito contra Principem non facilè Audientiam concedendam aſſerentes, Audientiam tamen, Litteris Informatorialibus ne quidem prærequiſitis, concedendo, & econtrariò Sereniffimum Principem dictæ Abbatiffæ & Monialium Dominum Territorialem, jure ſuo proprio & ſibi non tantum, quâ Statui Imperii adinſtar aliorum Statuum, ſed & ſpecialiſſimo ac Præcellſæ Cameraſ Imperiali peculiariſſime noto Rudolphino ſibi inſuper competente Privilegio uti volentem, & ſuas inſanabilem Nullitatum **EXCEPTIONES** obmovere intendentem, non audiendo, imò easdem **TANQUAM TEMERARIAS & PLANE NON FUNDATAS REJICIENDO**, in hac Cauſa Finium (qui, ut ut conſiderantur, ſunt: vel in cauſa **PRIVILEGII FEUDALIS**, quatenus ſunt Feudorum termini: vel in cauſa **PRIVILEGII BONORUM DOMANIALIUM & REGALIIUM RUDOLPHINI**, quatenus ſunt pars limitans Territorium ad Menſam Episcopalem notoriè ſpectans) reſpectu per omnia ſalvo, contra Jus aperte pronuntiaſſerit, quòdque propterea nullum ſuperſit dubium, quin ejuſdem **MANDATUM S. C.** binæque Sententiæ Paritoricæ cum Mandato de exequendo inſecutæ ſignanter verò Sententiæ Ulterior de 24. Octobris 1757. **Exceptiones** Principis plane non fundatas eſſe declarans **NULLITATIS** inſanabilis laborent **VITIO**, nullumque idcirco Executionis effectum producere valeant;

Qui effectus, ſi alioquin (prout tamen minimè ſperatur) à Præcellſa Camera Imperiali protinus urgeri præſumeretur, aliam poſt ſe traheret ſequelam momenti maximi: ſi quidem inpräſentiarum non ſolius Sereniffimi Principis Leodienſis, per Præcellſæ Imperii Cameraſ Jurisdictionem planè incompetentem ſibi arrogantis attentatum enormiſſimum in Jure ſuo Territoriali & Domini directi non modò, ſed & in Jure alio Privilegii, quoad Menſam ſuam Episcopalem ipſi ſpecialiſſimè competente, graviter admodum læſi, res agitur, ſed omnium ſimul Imperii Statuum Interèſſe ſubverſatur, ne Præcellſa Cameraſ Imperialis Potestatem ſuam in Imperio Romano Jus dicendi non aliundè, quàm ab Auguſtiſſimo Imperatore & Imperii Statibus habens, adverſus ejuſdem Ipſius Imperatoris ac Imperii Capitulationes, Conſtitutiones, Reſcuſſus ac Ordinationes, poſt præſens Gravamen & Attentatum apertiſſimum, Sereniffimo Principi Leodienſi incunſtantem & quaſi levato velo inſiſtum in cæterorum quoque Principum ac Imperii Statuum Privilegia, Jura, Regalia & Prærogativas pari involet indifferentiâ, &, nullâ Juriſm peculiariſſimum Statibus competentium ratione habitâ, Imperii Mem-
bra

bra insigniora cum ejusdem Membris minus insignibus imò infimis pacificando causas quascunque controversas, sive illæ alioquin inter Dominum Territorialem & ejus Subditum, sive inter Dominum Directum & illius Vassallum, sive inter ex utraque parte Subditos aut hinc inde Vassallos, sive inter alterius cujuscunque generis personas versentur, sive eadem etiam causæ specialissimo Privilegio eximantur, ad proprium suum placitum Mandatis suis vel Citationibus ad se trahere & dein, interverfis primæ Instantiæ aliisque Statuum Juribus, Sententiis suis definire præsumat; quod enim athesata Camera haud infectum relinquit intuitu Serenissimi Principis Leodiensis, id sanè intuitu alterius cujusvis Imperii Principis aut Status attentare non prætermittet.

Jure igitur merito confiditur, Reverendissimos, Serenissimos, Celsissimosque S. R. I. Electores, Principes, ceterosque Constantales haud quidquam esse permitturos, ut ejusmodi Sententiæ Cancellares, veluti apertò Nullitatis, Iniquitatis communisque Gravaminis vitio laborantes, Executioni demandentur, quin potius Injuriam Serenissimo & Eminentissimo Principi Leodiensi inflictam, ut per consequentiam in se ipsos redundantem agnoscant, & quibusvis locis, mediisque opportunis efficiant, ut Eidem Serenissimo & Eminentissimo Principi, suisque Successoribus, Jura & Privilegia Principatus Leodiensis manifestè competentia, intacta & illibata serventur, quod Officium, S. R. J. Systemati, Ejusdemque Constitutionibus & Observantia omninò conforme, crebrò altè dictus Princeps Leodiensis, Ejusdemque Successores erga Reverendissimos, Serenissimos, Celsissimosque S. R. I. Electores, Principes, ceterosque suos D. D. Constantales datà quavis Occasione demereri, omni studio conantur.

SEQUUNTUR ADJUNCTA.

Nro.

E

Nro Imo

CAROLUS SEXTUS Divinâ favente Cle-
mentiâ Electus Romanorum Imperator semper
Augustus, ac Germaniæ, Hispaniarum, Hun-
gariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiae, Sclavo-
niæ &c. Rex: Archi-Dux Austriæ, Dux Burgun-
diæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wurtem-
bergæ, Comes Tyrolis &c. &c.

Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium univèrsis, quòd,
cùm Nobis humillimè exposuerit Reverendissimus & Serenissimus
Josephus Clemens Archi-Episcopus Colonienfis, Sacri Romani Imperii
per Italiam Archi-Cancellarius &c. Princeps Elector & Consobrinus
Noster Charissimus quâ Episcopus Leodiensis, à Divo Imperatore *Ru-
dolpbo II.* die decimâ sextâ Decembris anno millesimo sexcentesimo
quinto, Episcopo Leodiensi, Cameræquæ suæ Rationariæ, Privilegium
concessum, & ab Imperatoribus *Matthia* atque *Ferdinando III.* confir-
matum fuisse tenoris sequentis:

RUDOLPHUS II. Divinâ favente Clemen-
tiâ Electus Romanorum Imperator semper Au-
gustus &c. &c.

Univèrsis Sacri Romani Imperii fidelibus in perpetuum. Post-
quam Divino munere, concessòque in hoc sublimi Cæsareâ Dignitatis
Solio constituti sumus, ad Officii Nostri munus pertinere existimamus,
ut Curam Nostram cùm ad publicam omnium, qui Nostro Imperio
parent, salutem procurandam, tum verò inprimis ad Principum ac
Procerum Imperii tam Ecclesiasticorum, quàm Secularium, & eorum
qui aliis præfunt, Authoritatem conservandam extendamus, atque eo-
rum indemnitati singulari sollicitudine consulamus, eorùmque commo-
ditatibus conservandis & augendis Favorem Nostrum impertiamur, ut
scilicet **Jura, Feuda**, aliòrumque Bonorum Administraciones,
quæ ab Imperio immediatè dependent, & quibus quasi columnis qui-
busdam Republicæ Status sustentatur, & à Majestate Nostra vires
ac robur acquirant, quæque in eorum detrimentum aut damnum ten-
dunt, avertantur.

Novè.

Noverit itaque præsens ætas & successura posteritas, quòd
 „ *quàmvis juxta Jura, & Principibus Imperii concessa Regalia, nec*
 „ *non eorundem communem usum & antiquitus observatum sylum, &*
 „ *consuetudinem, omnes & quæcunq; cause de ipsorum Dominiiis,*
 „ *Juribus, Proventibus & Fisco, eorūque Administratione, Se-*
 „ *curitate & Hypothecis dependentes, non alibi, quàm per ipsorum*
 „ *Cameram, vel ad hoc suos deputatos Judices aut Commissarios in*
 „ *prima Instuntia intententur, & facti veritate cognitâ, sinè longo*
 „ *sufflamine litium decitantur & executioni mandentur, quod proin-*
 „ *de quoque in Diœcesi Leodiensi Romani Imperii Membro antiqui-*
 „ *tus obtinuit & etiamnum obtinere debet,* „ attamen, uti ex fide
 dignorum relatione didicimus, quidam novissimorum temporum injuriâ,
 quasi habenis laxatis in tantam pervenere temeritatem atque proterviam,
 ut pro quæsitis debitarum rationum redditionibus & respectivè debitorum
 annuorum aliorūque Jurium Fisco & Mensæ Principis appendentium
 solutionibus & præstationibus Venerabilem & Illustrem Ernestum Archi-
 Episcopum Coloniensem Sacri Romani Imperii per Italiam Archi-Can-
 cellarium, Episcopum Leodiensem ac Monasteriensem, Administrato-
 rem Ecclesiarum Hildesheimensis, Frisingensis & Stabulensis, Palati-
 num Rheni, utriusque Bavarie Ducem, Consobrinum Nepotem & Prin-
 cipem Electorem nostrum Charissimum uti Episcopum & Principem Leo-
 diensem, quæsitis subterfugiis, coram diversis laicis, aliisque subalternis
 Judicibus, infinitis Processibus involvere, & interim bona sua tacitè vel
 expressè Fisco obligata & hypothecata, in fraudem præstitæ Cautionis
 alienare, & ad manus tertias in irreparabile ipsius Ecclesie detrimentum,
 Republicæ scandalum, ipsius Principis despectum, graviorisque seque-
 læ & corruptelæ detestandam insolentiam transferre non erubescant. Ut
 igitur hujusmodi fraudibus & calumniolis machinationibus maturè ob-
 viam eatur, & præallegata impedimenta irrationabilia tollantur & remo-
 veantur motu proprio, ex certâ nostrâ scientiâ & Majestatis nostræ
 plenitudine “ *Supradicti Episcopi Leodiensis Jurisdictionem Jure Re-*
 „ *galium competentem, suæque Camerae Rationarie antiquiis tribu-*
 „ *tam,* „ nec non Fisco Principis convenientem Autoritatem, tam
 quoad ipsos generales, speciales, subalternos Receptores, quàm etiam
 ipsius Camerae debitores, vel qui ab ipsis causam ex contractu, vel
 quasi quolibet modo & formâ habere dignoscuntur; itémque eos,
 qui super bonis & proventibus dicti Principatus annuos redditus, aliud-
 ve prætere, sive inter se ratione locationis dictorum bonorum,
 aliòve titulo disceptare velint, confirmamus, approbamus, laudamus,
 & quatenus opus, de novo indulgemus, concedimus, & ex Imperiali
 Munificentia omni meliori modo, formâ, & effectu largimur; cas-
 santes & annullantes omnes & singulos Processus in præjudicium Fisci
 Mensæ Episcopalis & Camerae Rationarie, earundemque rationum, ob-
 ventionum, & obligatarum Hypothecarum, citra expressum Principis
 consensum alibi motos & institutos cum omnibus & singulis depen-

dentibus, annexis & connexis, quocumque modo censeantur vel cense-
 feri possint, sive coram viginti - duum - viris, sive Officiali, Scabinis,
 vel Magistratu Municipali Leodiensibus, aliisve ullis subalternis Judi-
 cibus in - vel extra Leodium constitutis: inhibentes & serio sub pœ-
 nis infra scriptis mandantes, ne quis dictorum Judicum contra præmis-
 sa, vel quovis modo in præjudicium supranominatæ Jurisdictionis Ca-
 meræ Principis, in negotiis debitores, bona, *Dominia*, hypothecas,
 ratiocinia, vel *Jura*, quolibet modo Mensam Episcopalem concernen-
 tibus vel attingentibus, Processus ullis partibus citrà specialem & ex-
 pressum consentum Principis decernere vel admittere audeat seu præsu-
 mat: "*Sed omnes actiones reales, personales, & mixtas in & contra*
Fiscum, sive res, bona, jura & proventus Mensæ Episcopalis,, illius-
 que Colonos, Debitores, Possessores, Administratores quoscunque activè
 & passivè, quocumque nomine censeantur vel censeferi possint, etiam partes
 ipsas quæ inter se de bonis Episcopalibus contendunt, & pro Processibus
 habendis illos interpellant "*ad ipsius Episcopi Leodiensis Cameræ Ra-*
tionariæ deputatos Commissarios remittant,, neque de illis ullo
 modo sub quovis etiam quæsitio colore, sine speciali Principis consen-
 su lesè intromittant, aut desuper procedere præsumant, sub pena
 decem Marcarum auri puri, Fisco nostro Cæsareo pro una, necnon
 bene memorato Principi pro altera dimidietatibus irremissibiliter appli-
 candarum. "*Adeo etiam ut si fortassis inter Principem ipsum &*
partes contententes præmissorum bonorum occasione controversa inci-
dat, quòd eandem etiam prædictæ Cameræ Rationariæ Commissarii
audire, summarie & de plano sine strepitu & figura Judicii proce-
dere, quàm brevissimè expedire, liberè quoque suam Sententiam
juxtà Juri & Justitiæ formam pronuciare & dicere debeant, ju-
ramento quod Principi pro tuenda Camera Rationaria præstiterunt,
pro illa vice relaxato;, Sed ne ulli mortalium, tam de suspitione
 Deputatorum, quàm consequendæ Justitiæ perhorrescentia detur
 conquerendi occasio, statuimus, & districtè supradictò Episcopo Leo-
 diensi ejusque Successoribus legitimis, fructu hujus Nostræ Confirma-
 tionis gaudere volentibus sub pena cassationis & revocationis manda-
 mus & præcipimus, ut Viros vitæ & morum integritate conspicuos,
 sinceros, & experientiâ rerum insignes "*Camæ sue Rationariæ præ-*
ficiant, juramento speciali pro administranda Justitiâ obstringant;,
 ità ut coram eisdem ad minus numero quinque existentibus, Thesaus-
 rius Generalis atque singuli Receptores & Administratores quocumque
 nomine censeantur, quolibet anno justum calculum de omnibus Fisci
 & Episcopalis Mensæ bonis, eorumve obventionibus, per se vel suos
 exactis & perceptis, exigendis & percipiendis reddere, registra sua &
 rationum computa perfectè exhibere, eorundem veritatem legitimis
 probationibus adimplere, &, quatenus opus, juramento confirmare,
 reliqua solvere, debitores quoque Fisco & Episcopali Mensæ quovis
 modo personaliter sive realiter obligati, coram iisdem comparere, &
 de debitis liquidatis satisfacere teneantur, adeo ut si quis ex prædi-
 ctis

etis morosus aut contumax permanferit, & per dictam Cameram pro
 tali declaratus fuerit, sine aliorum imploratione eundem viis & reme-
 diis juris executivis compellere & constringere possint & valeant; ita
 tamen, ut ipsi Deputati Camerae Rationariae Commissarii, vocato
 Fisci Procuratore, omnes & singulas computationes, registra &
 eorundem justificationes debitorum quoque Fiscalium sive Came-
 raliurum ad Mensam Episcopalem spectantium, reliqua cum omni-
 bus annexis & connexis maturè singulis annis examinare, dubia,
 si qua inventiantur, ad resolvendum communicare, prudenter & ve-
 raciter procedere, ac " *prævio Juris-Consultorum non suspectorum*
 ,, *adhibito, quatenus opus, consilio,* ,, discutere, admittendis
 ,, & rejectis rejiciendis, debitores ad solvendum remediis executi-
 vis, ut præmissum est, constringere, si quid animadversione aut pœ-
 nâ dignum, multis aliisque coercionibus legalibus corrigere, ac
 circa præmissa, " *summarie & de plano, absque longo sustamine litis,*
 ,, *jus & justitiam administrare possint & debeant;* ,, sub hac de-
 mum annexa reservatione, ut, si ex Deputatis Camerae quis suspectus
 recusetur, non nisi reculationis iustâ & probabili causâ expressâ audi-
 ri, illaque probatâ, recufatus à negotiis cœptis abstinere, & " *alius*
 ,, *in ejus locum juramento speciali obstringendus substitui possit & de-*
 ,, *beat:* Denique " *ne gravatis omne beneficium defensionis præscin-*
 ,, *datur, singulari beneficio remedium Revisionis à definitivis vel*
 ,, *vim definitive habentibus, intra quadrimestre tempus finiendum in-*
 ,, *dulgemus, & Autoritate Imperatoriâ lege in perpetuum valiturâ*
 ,, *decevimus & constituimus ut Cancellarius & Officialis Leodiensis,*
 ,, *pro tempore nec non duo Scabini Leodienses, qui de Consilio pri-*
 ,, *vato erunt, perpetuo sint & maneant Revisores, qui deposita par-*
 ,, *te tertia valoris de quo agitur, pro pœna, unâ cum Camerae Ra-*
 ,, *tionariae Consiliariis, juramento relaxato, acta revideant, Procef-*
 ,, *sum vident, & compertis vel non compertis erroribus Sententiam*
 ,, *dabunt.* ,, Harum testimonio Litterarum manu Nostrâ subscriptarum,
 ,, & Sigilli Nostrî Cæsarei appensione munitarum. Datum in
 Arce Nostra Regia Pragæ die decimâ sextâ mensis Decembris Anno
 Domini Millesimo sexcentesimo quinto, Regnorum Nostrorum Ro-
 mani trigesimo primo, Hungarici trigesimo quarto & Bohemici itidem
 trigesimo primo.

Ac licet hujus Privilegii verba & dispositio, quæ Jura, causæ, per-
 sonæ ac debitores, Jurisdictioni, Judicaturæ atque Decisioni præfatae Ca-
 meræ Rationariae Leodiensis subsint, appareant sat clara, secumque fe-
 rant, quodd, si quis ex iis morosus aut contumax permanferit, & per
 sine dictam Cameram pro tali declaratus fuerit, eundem Camera ista si-
 nê aliorum Judicum imploratione, ad præstandum præstanda possit com-
 pellere, ac viis & remediis executivis constringere; nihilominus Scabini
 aliôsque Judices Leodienses res ab eadem Camera Rationaria judicatas &
 convictiones contra morosos Mensæ Episcopalis debitores autoritate ejus-
 dem

dem procuratas admittere nolle, vel potius recusare, nisi prævio ab ipsis impetrato mandato executivo; alterum etiam præfato Privilegio illatum præjudicium in eo consistere, quòd prælibati Scabini alique Patriæ Leodiensis Judices manutionem quantumvis connexam & à causa principali dependentem in qua sæpefata Camera sit privativè Judex, concedere, talesque causas super manutione agitatas decidere præsumant: hanc autem Concessionem atque Decisionem cum juri, tum intentioni Altissimi dicti Imperatoris Rudolphi non tantum ideo repugnare videri, quòd causa possessionis & causa principalis apud unum eundemque Judicem cognosci debeant, sed etiam ex eo quòd Judex competens in petitorio naturaliter etiam de possessoris & manutionum causis cognoscere possit: Aliam item ex eodem Privilegio oriri difficultatem circa formam Revisionis hinc verbis conceptam: *Revisores: qui unà cum Camera Rationarie Consiliaris juramento relaxato, Acta revideant, Processum vident, Et compertis vel non compertis erroribus Sententiam dicant.* Ex his autem verborum expressionibus particulam unà & particulam Et, ab aliis conjunctivè intelligi: ac proinde idem Elector, quà Episcopus & Princeps Leodiensis Nos humillimè orarit, ut præcitatum Privilegium interpretari, & eò declarare clementissimè dignemur, quòd crebrò fata Camera Rationaria independenter à quocunque alio Judice, sua judicata, suasque convictiones exequi, nec non cum exclusione alterius cujuscunque Judicis manutionem in rebus Mensam Episcopalem concernentibus concedere vel denegare, executionique demandare: ac tandem, quòd Consiliarij ejusdem Camerae, vel omnes numero quatuordecim, vel saltem aliqui ex illis, numero nimirum per Nos benignè determinando, unà cum quatuor Revisoribus in dicto Privilegio denominatis, Causis Revisilibus interesse, in illis votum habere illudque proferre ac pronunciare valeant: Nos pro singulari Clementiæ nostræ affectione, quã prænominato Principi Electori & Consanguineo Nostro Charissimo prolixè gratificatum cupimus, precibus istis juri & æquitati, nec non præcitato Privilegio consentaneis, omnino annuendam duxerimus, uti vigore præsentium annuimus: ac proinde ex certa scientia, animo bene deliberato, sano item ac maturo consilio, & Cæsareæ Potestatis Nostræ plenitudine præinsertum Privilegium in omnibus suis punctis, clausulis, tenoribus, articulis, sententiis, & verborum expressionibus non modò laudamus, confirmamus, approbamus & ratificamus, verum etiam harum vigore, clementissimè declaramus, quòd sæpe-repetita „*Camera Rationaria Leodiensis*“, ad executionem suorum Judicatorum aut convictionum, nullis Mandatis vel suffragio sive Scabinorum, sive aliorum Judicum Leodiensium egeat, sed illa vigore authoritatis non minùs per præinsertum ac per hocce Privilegium Nostrum Cæsareum sibi impertitæ exequi uti & „*cum exclusione alterius cujuscunque Judicis*“, causas manutionum connexas & à causis principalibus dependentes „*in rebus Mensam Episcopalem concernentibus decidere*“, adeoque manutionem concedere vel denegare „*executionique mandare possit ac valeat.*“ Ac tandem si partes gravatæ contra ejusmodi Sententias definitivas vel vim definitivæ habentes, beneficio Revisionis per dictum Privilegium Divi Imperatoris

Ru-

Rudolphi reservato uti, sibi que consulere velint cum Cancellario & Officiali Leodiensi atque duobus Scabinis de Consilio privato pariter Leodiensibus tres ejusdem Camerae Rationariae Consilarii, Viri vitae ac morum integritate conspicui, sinceri & rerum experientia insignes, qui tamen in priori instantia nec Re-nec Correferentis munere functi fuerint, ejusmodi Judicio Revisorio adesse possint, adfiscisque debeant, qui relaxato juramento communi, cum modo dictis Cancellario, Officiali, atque Scabinis consilio & opera acta revidere, Processum examinare, vota sua habere, proferre, ac tandem omnes simul pro justitiae dictamine Sententiam pronuntiare possint „*quavis appellatione remota solaque executione locum omnino habente.*” Quae praedicta omnia & singula perpetuis deinceps temporibus plenam roboris firmitatem obtinere debere clementer decernimus, atque hoc Diplomate Nostro Imperiali firmiter statuimus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc Nostrae Approbationis, Confirmationis, Ratificationis, Declarationis, aut Interpretationis & Gratiae paginam infringere: si quis autem attentare hoc praesumpserit, indignationem Nostram & Sacri Imperii gravissimam, ac ultra praesertam poenam, aliam decem marcarum auri puri pro medietate Fisco seu Erario Nostro Imperiali, pro reliqua vero parte dimidia injuriam palli vel passorum ulibus applicandam, se noverit incursum.

Harum Testimonio Litteratum manu nostra subscriptarum, & Sigilli nostri Caesarei appensione munitarum. Datum in Civitate nostra Vienna die trigesima prima Octobris Anno millesimo, septingentesimo vigesimo primo, Regnorum Nostrorum Romani undecimo, Hispanico-rum decimo nono, Hungarici & Bohemici vero pariter undecimo. *Sig-natum* CAROLUS. *Et deinde Vi.* FRID. CAR. Comes de Schönborn. Ad Mandatum Sacrae Caesareae Majestatis proprium, *Subsi-gnatum* P. W. Georgiendiel m. p. *Collat. Et registrat.* Jodoc. Pein m. p. Registrator. Et appensum erat majus Sigillum Suae Sacrae Caesareae Majestatis in cera rubra, in capsula reclusum.

☉ (24) ☉

Nro 2^{do}

Mandatum de exequendo sine clausula

In Caufa

Abbatiffæ & Conventûs de Herkenrode

Contra

PRINCIPEM LEODIENSEM nec non binos
Confilarios Cameræ Rationariæ uti &
Hæredes de Stockhem.

FRANCISCUS Divinâ favente Clementiâ
Electus Romanorum Imperator semper Augu-
stus, Germaniæ & Hierosolimæ Rex, Dux Lo-
tharingæ & Barri, Magnus Dux Hetruariæ,
Dux Calabriæ, Geldriæ, Montis Ferrati, Tes-
schinii, in Silesia, Princeps Carolopolis, Mar-
chio Mussiponti & Neomenii, Comes Provin-
ciæ, Valdemonti, Blanckenbergæ, Zutphaniaë,
Saarverdes, Salmonæ, Falconis, Petræ &c. &c.

Serenissimo CAROLO THEODORO Co-
miti Palatino Rheni, Bavarie Duci, Comiti Vel-
dentie & Sponhemii, Sacri Romani Imperii
Archi - Thefaurario, Principi Electori & Con-
sanguineo Nostro Charissimo Benevolentiam No-
stram Cæsaream & omne Bonum.

SERENISSIME PRINCEPS ELECTOR
& CONSANGUINEE CHARISSIME!

IN exterius rubricata caufa apud Cameræ Nostræ Imperialis Judicium
die 28^{va} Augusti 1747. introductâ causâ Mandati, quod unâ cum
Supplicatione & Adjunctis inibi allegatis adjacet infra scriptæ Sententiæ
pari-

paritoria respectivè 19nâ Maji 1756. & 1mâ Februarii 1757. publicatae sunt.

Tenor Sententiæ 19. Maji 1756. emanatae.

In causa Abbatissæ & Conventûs de Herckenrode contra Dominum
 „ **PRINCIPEM LEODIENSEM** nec non binos
 „ Consiliarios Cameræ Rationariæ uti & Hæredes de Stockhem, Man-
 „ dati de manutenendo ordinationem 15. Octobris 1740. cum plena-
 „ ria cause cognitione latam Et in judicatum prolapsam, reponendo
 „ evulsos lapides terminales ad locum unde, nec ul-
 „ tertius pendente litæ quidpiam in puncto limitum alterando aut mutan-
 „ do S. C. Lti Bissing suam ratione Mandati ætioris petitionem fa-
 „ tam adhuc denegantes Lto Weylach obmotis exceptionibus inattentis
 „ ad docendum emanato Et reproducto Mandato Cæsareo per omnia
 „ paritum esse tempus unius mensis pro termino Et prorogatione ex Of-
 „ ficio præfigimus sub tali comminatione, nisi ita egerit, quod sui
 „ Principales ex nunc prout ex tunc, Et ex tunc prout ex nunc in
 „ penam dicto Mandato insertam declarati esse debeant. Porro par-
 „ tem rem in expensas in hoc Camera Imperialis Judicio causatus Acto-
 „ ri, salvo Nostro Judiciali moderamine refundendas condemnamus. „

Tenor Sententiæ 1757. latae 1mâ Februarii.

In Causa Abbatissæ & Conventûs de Herckenrode contra Dominum
 „ **PRINCIPEM LEODIENSEM** nec non binos
 „ Consiliarios Camere Rationariæ uti & Hæredes de Stockhem decifi
 „ Mandati de manutenendo ordinationem 15. Octobris 1740. cum
 „ plenaria Cause cognitione latam S. C. nunc executionis Lto Bissing
 „ suam ratione Mandati de exequendo factam petitionem adhuc denegantes,
 „ Lto Weylach ad docendum emanato Et reproducto Mandato
 „ Cæsareo uti Et Sententiæ paritorie die 19. Maji nup. latae per omnia
 „ paritum esse, adhuc tempus unius mensis, pro termino Et prorogatione
 „ ex Officio præfigimus sub tali comminatione nisi ita egerit, quod sui
 „ Principales in penam priori Sententiæ insertam declarati esse, Et Mar-
 „ datum de exequendo sinè ulteriori imploratione ex Cancellaria extra-
 „ di debeat.

Cum verò is inattentis à parte impetrata injuncta Partitio hucusque non præstita, & hinc ad Impetrantium ulteriorem instantiam, hocce Nostrium Cæsareum Mandatum de exequendo S. C. vigore frequentis Sententiæ erga Dilectionem Vestram decretum sit,

G

Te-

Tenor Sententiæ imâ Aprilis 1757. publicatæ.

“ In *Causa* Abbatissæ & Conventus de Herck *ode contra* Dominum
 „ PRINCEPEM LEODIENSEM nec non binos Consi-
 „ liarios Camerae Rationariae, uti & Hæredes de Stockhem *decisi* Mandati
 „ de *manutenendo orationem* 15. *Octobris* 1740. cum plenaria *causæ*
 „ *cognitione* latam S. C. nunc *executionis, petitum Mandatum & exe-*
 „ *quendo, ad* DOMINUM ELECTOREM PALATINUM *ex causis*
 „ Nos *moventibus decernimus.*

Authoritate idcirco Nostrâ Imperiali & sub pœna decem marca-
 rum auri puri, pro una Fisco seu Erario Nostro Cæsareo, altera verò
 mediæ impetrantibus irresistibiliter persolvendarum, firmiter & distri-
 ctè præcipiendo mandamus & seriò injungimus *Dilectioni Vestre*, ut in-
 tra sex septimanas & tres dies proximas ab insinuatione hujus, sinè morâ
 & tergiversatione ullâ ad executionem suprâmemorati Mandati, & præ-
 inferatarum Sententiarum procedat, taliter obediens per omnia obtempe-
 ret, quatenus eidem comminatam pœnam evitare placuerit.

Factura in hoc Jussionem Nostram seriam.

Citamus insuper & vocamus *Dilectionem Vestram* eâdem No-
 strâ Authoritate, ut trigessimâ die post lapsum præfixi termini sex septi-
 manarum & trium dierum proximâ, quorum *Dilectioni Vestre* decem
 pro primo, decem pro secundo, & reliquos decem dies pro tertio &
 peremptorio termino assignamus, vel si dies ipsa Juridica non fuerit ex
 tunc primâ causarum audientiâ per Procuratorem ad hoc legitime con-
 stitutum & sufficienter instructum in suprâ nominato nostro Auditorio
 compareat, huic nostro Mandato in omnibus & per omnia paritum
 esse, sufficienter edocitura, sin minus ad videndum & audiendum,
 eandem ob non præstitam paritionem in pœnam præfatam incidisse de-
 cerni & declarari, vel dicendum & allegandum causas rationabiles, qua-
 re declaratio talis fieri non debeat, recipiendumque desuper Justitiam
 expeditam.

Nam sive *Dilectio Vestra* sic comparuerit, sive non, nihil-
 ominus ad alterius partis instantiam ad declarationem hujusmodi ac aliâs
 mediante Justitiâ procedetur, absentia seu contumacia vestra non ob-
 stante.

De quo *Dilectionem Vestram* certiorẽ facimus per præsentẽs.

Datas in Imperiali Civitate Nostrâ Wetzlarie die 4ta mensis
 Aprilis Anno Domini millesimo, septingentesimo, quinquagesimo septi-
 mo, Regnorum Nostrorum Romani duodecimo &c.

Ad Mandatum Domini Electi Imperatoris proprium. *Erat signa-*
tum Fridericus Wilhelmus Ruding Judicii Imperialis Camerae Cancellarius
 Director m. pp. Et infra Casimirus Gregorius Messer
 Camp. Imp. Jur. Protonotarius.

Nro.

Nro 3^{tio}.

Sententia publicata 24. 8bris 1757.

„ *IN* causa Abbatissæ & Conventûs de Herckenrode contra Dominum
 „ PRINCIPEM LEODIENSEM, nec non binos Consiliarios Came-
 „ ræ Rationariæ, uti & Hæredes de Stockhem, *decisi Mandati de*
 „ *manutenendo ordinationem 15. Octobris 1740. cum plenaria causæ co-*
 „ *gnitione latam Esc. S. C. nunc Mandati de exequendo exception-*
 „ *es incompetentiæ à Lto Blavier oppositas tanquam*
 „ *temerarias & planè non fundatas rejicientes, Cameram*
 „ *Rationariam insuper in expensas expropter causatas, moderamine no-*
 „ *stro salvo, condemnantes, petitum proclama contra DOMINUM*
 „ *ELECTOREM PALATINUM puncto Demandatæ Executionis sa-*
 „ *ciende decernimus, & dicto Lto Blavier, si quod gravamen*
 „ *sui Asserti Principales contra Sententiam à defuncto Domino Principe*
 „ *Leodienâ Anno 1740. latam habere putant, ut illud in Causa Cita-*
 „ *tionis de Stockhem contra jam nominatum Principem proponat, atque*
 „ *ad hoc à Domino Principe moderno speciale Manda-*
 „ *tum, uti Et à Camera Rationaria, in forma prout moris*
 „ *afferat insimul injungimus.*



Tm 3467

2^o



$\frac{1}{B} \frac{6}{2}$

V078

m. C.





N. 26/193 May 1758

Pro
Reverendissimo, Serenissimo, & Eminentissimo
S.R.I. Principe ac Domino,

DOMINO
JOANNE THEODORO
BAVARIÆ DUCE,

S. R. E. Cardinale, Episcopo & Principe Leodiensi,
Frisingensi, & Ratisbonensi, utriusque Bavariae, Superioris
Palatinatus & Bullonii Duce, Comite Palatino Rheni,
Landgravio Leuchtenbergæ, Marchione Franchi-
montensi, Comite Loffensi, Hornensi,
Barone Herftalliensi &c. &c.

Qua
O & PRINCIPE LEODIENSI.
NA FACTI SERIES
Cum
TIONE GRAVAMINIS

P^{to} II Confinium seu Limitum Juris-
ditionalium inter duas contiguas
Dynastias de Curenge & de Kermpt,
& in hac Materia BONORUM
DOMANIALIUM & REGALIIUM
PRINCIPIIS, nec non FEUDALI à
Præcellsa Imperiali Camera relaxati
MANDATIS. C. & inde fecutorum.

1758.

